



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 19. An licet dare, vel promittere aliquid temporale alteri, ut faciat aliquod opus salutare in suam utilitatem, v. g. suscipiat Sacramenta, audiat Sacrum, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

quendis, quoniam tales simoniacos reputamus. Unde Fagnan. in cap. ad nostram de Elect. ait: Clericum, qui Ordines suscipit, ut Beneficium consequatur, simoniam committere mentalem, quæ non obligat ad Beneficii dimissionem, sed tantum modo ad satisfaciendum Deo per pœnitentiam, nisi pactum præcesserit.

Q. 19. An licet dare, vel promittere aliquid temporale alteri, ut faciat aliquod opus salutare in suam utilitatem, v. g. suscipiat Sacramenta, audiat Sacrum? &c.

Resp. I. Licet dare aliquid temporale absolutè alteri, petendo ab illo, ut aliquid spirituale faciat in bonum animæ suæ, modo nulla imponatur obligatio illud faciendi: quia tunc est solum donatio liberalis, facta ad alliciendum alterum ad bonum opus, sine obligatione mutua & pacto oneroso. Item licet aliquid promittere sub conditione, si feceris hoc opus bonum, intendendo spirituale bonum operantis, & se obligando ad standum promissis, impletà conditione, & non aliter, modo nulli alteri oriatur obligatio, ex cap. 2. de condit. ubi approbatur concessio libertatis facta seruo eâ conditione, ut Monachus fieret, & non aliter. Nam ibi nulla est Simonia, sed est precisè quædam optio, quæ alteri gra-

gratuitò offertur in suum solùm bonum, ut hoc vel illud eligat pro suo arbitrio.

Resp. II. Simonia est dare, vel promittere temporale sub pacto, & conditione, ut alter obligatus sit ad faciendum opus salutare in suam utilitatem, ex cap. *Quam pio* 1. q. 2. quia ibi intervenit pactum onerosum circa spirituale cum pretio, quod in jure prohibetur ut simoniacum, & tunc datur, & accipitur pretium pro spirituali. *Ita Suarez.*

Q. 20. *An accepta per simoniam restitui debent?*

Resp. I. Beneficia, Dignitates, Officia & alia ejusmodi simoniacè accepta non possunt in conscientia retineri, sed dimitti debent cum omnibus fructibus, ante omnem sententiam. Constat tum ex consensu Doctorum, & sensu, ac usu Ecclesiæ, tum ex cap. *Siquis dator.* & cap. *ea qua.* 1. q. 3. tum quia sine justo titulo possidentur, cum omnis collatio, provisio, & pactio simoniaca irrita sit, & nulla, saltem jure Ecclesiastico. cap. ult. *de Pact.* & proinde careat omni effectu, nullumque ius tribuat; ut declaravit Martin. V. in Conc. Constantiensi Sess. 43. approbante. *Electio- nes, postulationes, confirmationes, & quavis provisiones simoniaca Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Officiorum &*

Tom, 1.

Xx

Be-